



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici,  
& Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur,  
Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis,  
Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris  
novem ...

Erotemata Ecclesiastica

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Cap. IV. De Hæresi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

possunt sub eo militare, quia evadunt fautores infidelium, seu hæreticorum, quod est prohibitum sub excommunicatione. *Cap. Fraternitatis, §. Credentes, de Hæreticis.* Aut subditi sunt, & tunc vel bellum geritur in odium Religionis, & militare non licet. *Cap. Julianus 11. q. 3.* Vel non est in odium Religionis, sed ob causas profanas, & militare licet. *Ricciullus d. lib. 1. cap. 11.*

17. *Quer.* Quid importet quintum Fidei Præceptum? *Resp.* Quod interius fides non negetur, vel in totum, quod est Apostasia, vel in partem, quod est Schisma, vel Hæresis. *Tamburin. d. lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 4.*

18. *Quer.* Quot sint vitia opposita Fidei? *Resp.* Esse quinque: Hæresin, Apostasiam, Schisma, Paganismum, & Judaismum. *S. Thom. 2. 2. q. 10. De Professione Fidei juxta Bullam Pii IV. vide infra cap. 99. num. 24.*

## CAPUT IV.

### De Hæresi.

1. *Quer.* Quid sit Hæresis? *Resp.* Est error hominis baptizati in intellectu voluntarius, contra aliquem fidei articulum, cum pertinacia. *Tamburin. in Decal. lib. 2. cap. 1. §. 4. num. 2. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 7. num. 11. Farinac. de Hæresi, quest. 178. §. 1. à num. 3. & seqq.* Hinc Catechumenus non dicitur hæreticus, licet renuat credere aliquem articulum, neque ille, qui non est pertinax, id est, qui paratus est, se submittere iudicio Ecclesiæ; *Tamburin. ubi supra d. §. 4. num. 3. & 4. Baldellus d. lib. 1. de Fide disp. 32.*

2. *Quer.* Quotuplex sit Hæresis? *Resp.* Est duplex, interna & externa. Prima est, quando quis errorem suum contra fidem pertinaciter retinet in corde. Secunda est, quando dictum errorem exterius pandit dictis, vel factis; & idcirco ad hæresin externam habendam duo sunt necessaria; ut verbum, vel signum exterius ex affectu hæresis proferatur; & quod ex se aptum sit exprimere ipsam hæresin determinatè; idcirco, quotiescunque actus externi possunt referri ad aliud, quam ad hæresin, homo non dicitur hæreticus exterior; exempli gratia, si non genu flectat ad Eucharistiam, nam referri potest ad irreverentiam; vel comedat carnem in die vetito, nam potest tribui gula; quod notandum est pro incurso poenarum; quæ solos hæreticos exteriores afficiunt. *Tamburin. d. §. 4. n. 8.* Verum tamen est, quod contra prædictos possunt Inquisitores procedere, & eos punire. *Dian. Coordin. tom. 5. tract. 10. resol. 83. quæ in veteri est p. 4. tract. 8. ref. 38.*

3. *Quer.* Quæ, & quot sint Hæreticorum Poenæ? *Resp.* Esse quatuordecim. Prima est excommunicatio ipso jure, tum per sacros Canones. *Cap. Acacius 24. quest. 1. cap. Ad abolendam. Cap. Excommunicamus in primo. De Hæretic. Cap. Noverit. De Sent. Excomm.* tum per *Cap. 1. Bullæ in Cena Domini. Theaur. de Panis Eccles. part. 2. verb. Hæresis externa cap. 1.* Secunda est Irregularitas, quando hæreticus est notorius, secus verò si sit occultus. *Tambur. d. lib. 2. cap. 1. §. 5. num. 6. Garz.*

*de Benef. part. 11. cap. 10. num. 83.* At contrarium dicit esse probabilius, & communius *Theaur. d. verb. Hæresis externa cap. 1. sub num. 3.*

Tertia est infamia. *Cap. Infames 6. q. 1. Farinac. d. qu. 189. de Hæresi num. 56.* Quod in hæresi notoria intelligendum ait *Tamburin. d. §. 5. num. 7. & 16. Sanchez, & alii.*

Quarta, est privatio officiorum & beneficiorum. *Cap. Ad abolendam §. 1. de Hæreticis, quæ pariter procedit in hæresi notoria, & post Judicis sententiam. Garzias d. cap. 10. num. 81. Tambur. d. §. 5. num. 10. & 11. ubi num. 12. notat, privationem beneficiorum incurere etiam eos, qui illa impetraverint ad preces hæreticorum.*

Quinta est, quod non possit esse Patrinus filii Catholici in Baptismo. *Sanch. lib. 2. in Dec. cap. 9. num. 12.*

Sexta est, ut Hæreticus non possit contrahere Matrimonium cum Catholico. *Cap. Non oportet 28. q. 1. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 72. num. 2.* Quod est intelligendum, esse illicitum, non autem invalidum. *Tamburin. d. §. 5. num. 14.* Et hoc non procedere in locis, in quibus Hæretici vivunt simul cum Catholicis, ut in Germania, Gallia, Polonia.

Septima, est confiscatio omnium bonorum; de qua latè *Farinac. in d. tract. de Hæresi, quest. 190. & Tamburin. d. §. 5.*

Octava, est incapacitas testandi, & succedendi ex testamento. *Farin. d. q. 190. num. 94. Tamburin. d. §. 5. num. 23.*

Nona, est exemptio filiorum à Patria potestate, amissio servorum, & Jurium quorumcunque. Illi ipso Jure; isti verò post sententiam. *DD. apud Tambur. d. §. 5. num. 24. & non etiam in regionibus palam infectis. Theaur. de Panis d. part. 2. verb. Hæresis externa num. 4. vers. Limita.*

Decima est, quod Hæreticus externus non gaudet immunitate Ecclesiastica loci Sacri ex Bulla Gregorii XIV. *Theaurus ubi supra num. 5. & verb. Immunitas cap. 1.*

Undecima est, quod qui semel publicè, vel secretè abjuravit de hæresi formali, remanet semper inhabilis ad confessiones audiendas. *Theaur. d. Verb. Hæresis externa num. 6.*

Duodecima, quod talis hæreticus caret Ecclesiastica sepultura. *Theaur. ibid. num. 8. & verb. Sepultura cap. 4.*

Decima tertia, quod, qui fuit hæreticus, vel schismaticus, non potest eligi in Papam; & si eligatur, electio est ipso jure nulla. Ex Bulla Pauli IV. 19. incipit: *Cum ex Apostolatus, Theaur. d. verb. Hæresis num. 7.*

Decima quarta, quod Relapsus traditur Curiae seculari, prout impoenitens hæreticus, & mortis poena afficitur, vivusque comburitur. *Farinac. de Hæresi quest. 189. per totam.*

4. *Quer.* Quis dicatur Hæreticus Relapsus? *Resp.* Non dici relapsum, qui pluries in foro poenitentiae relabatur in hæresin; sed illum, qui, cum fuerit publicè correptus & emendatus, iterum labitur in hæresin. *DD. apud Tambur. d. §. 5. num. 25. lib. 2. cap. 1. in Decal.*

5. *Quer.* An poenæ infligantur contra hæreticos

cos se extendant ad alias personas? *Resp.* Eas se extendere ad eorum cooperatores, qui duatuor sunt, nempe Credentes, Receptatores, Defensores & Fautores. Illi dicuntur credentes hæreticorum, qui assentiuntur eorum erroribus, quamvis nesciant dictos errores in particulari. Receptatores sunt, qui hæreticum causa hæresis fugientem recipiunt, vel abscondunt. Defensores sunt, qui hæreticum laudibus, auxiliis, ope (quamvis mortuum) defendunt. Fautores sunt, qui cum possint eum punire, vel capere, id facere nolunt, dummodò ideis ex officio incumbat, & hoc agant, non ut faveant hæretico, tanquam amico, sed tanquam hæretico. Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 6. & ubi DD. à. n. 1. & seqq.

6. *Quer.* Quænam sint poenæ fulminatæ contra fautores hæreticorum? *Resp.* Excommunicationem Summo Pontifici reservatam; in quam si per annum post denunciationem inforuerint, afficiuntur etiam infamia, privatione beneficiorum, & aliis poenis, de quibus in Cap. Excommunicamus, §. Credentes. De Hæreticis.

## CAPUT. V.

## De Libris prohibitis.

1. *Quer.* Quæ, & quot dentur prohibitiones librorum? *Resp.* Quatuor. Prima est in Bulla Cænæ de libris Hæreticorum continentibus hæresin, vel de Religione tractantibus.

Secunda est Sixti Quinti prohibentis libros Astrologiæ Judiciariæ.

Tertia est Clementis Octavi, qui prohibet libros Hæresiarcharum, etiam si non tractent de Religione, nec hæresin contineant, donec corrigantur: item libros de aliqua hæresi infectos, Talmud Hebræorum, & Alcoranum Basilicæ impressum.

Quarta est Pauli Quinti, & Urbani Octavi, qui pro Regnis Hispaniæ prohibuerunt omnes libros damnatos à Sede Apostolica, vel ab ipsa Inquisitione Hispanica: Ex quibus formandæ sunt quatuor Regulæ ad cognoscendas poenas infligtas in eos, qui legunt, retinent, vel imprimunt libros prohibitos, prout quatuor sunt classes librorum prohibitorum.

Prima Regula: Legentes, retinentes, vel imprimentes libros hæreticorum tractantium de Religione, aut hæresin continentes, incurrunt excommunicationem Bullæ Cænæ Domini, Papæ reservatam. Bonac. de Censuris in Bulla Cænæ disp. 1. quest. 2. punct. 4. num. 7. Layman. lib. 2. tract. 1. cap. 15. n. 8. Thesaur. de Pænis part. 2. verb. Libros hæreticorum cap. 1.

Secunda Regula est: Legentes &c. libros hæreticorum, qui non tractant de Religione, neque continent hæresin, incurrunt excommunicationem Judicis, quæ tamen non est reservata. Bonac. & Layman. ubi supra, advertentes, id procedere, si libri damnati sint ob suspicionem falsi dogmatis, vel hæresis; secus autem, si sint Medici, Historici, vel Poëtici.

Tertia Regula est, Legentes &c. librum Autoris Catholici, sed damnatum ob aliquam hæresin, vel falsum dogma in eo contentum, incurrere excommunicationem Judicis, quæ non est reservata. Layman d. cap. 15. num. 8. Thesaur. d. Verb. Libros cap. 2.

Quarta Regula est, Legentes libros prohibitos, eò, quia tractant de rebus veneris, & obscænis, nullam incurrere excommunicationem, sed mortaliter peccare. Bonac. d. punct. 4. num. 5. Layman d. cap. 15. num. 8. & Thesaur. d. cap. 2. in fine. 2.

2. *Quer.* An libri Paganorum, vel Hebræorum tractantes de Religione sint comprehensi sub excommunicatione lata in Bulla Cænæ? *Resp.* Negative, quia præfati non sunt propriè Hæretici. Suarez disp. 20. de fide sect. 2. n. 11.

3. *Quer.* An idem sit dicendum de libris Græcorum, & Armenorum tractantibus de suis ritibus? *Resp.* Negative, quia ipsi tanquam Schismatici sunt etiam Hæretici. Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 1. §. 7. num. 8. Et ideò, qui eos legit, incurrit excommunicationem Bullæ.

4. *Quer.* An brevis Scriptura, Epistola, seu Oratio typis impressa Hæretici de Religione tractans, vel hæresin continens, comprehendatur sub prohibitione, & censura Bullæ reservata? *Resp.* Negative secundum Sanchez. Affirmative secundum Suarium, quos allegat Tamb. d. §. 7. num. 10. qui num. 11. notat, brevem scripturam dici, si in duobus foliis contineatur.

5. *Quer.* An retineri possit liber prohibitus propter hæresin in eo contentam, si hæresis deleatur? *Resp.* Non posse. Tambur. ibid. num. 12.

6. *Quer.* An manuscriptum prohibitum sit eodem modo, quo liber Hæreticorum in Bulla Cænæ? *Resp.* Affirmative ex Suario, & Sanchez citatis per Tamburin. d. §. 7. num. 13. qui tamen num. 14. contrariam opinionem tenet, e ratione, quia appellatione libri impressi non venit manuscriptum; ideòque non est censendum, contineri sub censura Bullæ Cænæ Domini, seu sub aliis censuris non reservatis, prohibentibus legere libros, ac scripturas erroneas contra Fidem.

7. *Quer.* Quis possit concedere licentiam legendi libros prohibitos? *Resp.* Solus Pontifex concedit licentiam pro libris hæreticorum de Religione, vel hæresi tractantibus. Pro aliis verò libris posse licentiam dare Episcopos, & Inquisitores, tenet Tamburin. d. §. 7. num. 18. & 19. exceptis locis, in quibus viget Hispanica Inquisitio: quamvis sub num. 20. se reddat ancipitem ob Constitutionem Urbani Octavi: Apostolatus officium die 2. Octobris 1631. in qua hæc sunt verba: Neque de cetero similes licentiæ, nisi à Congregatione Sancti Officii, dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis, concedantur. Ex quibus Tamburin. videtur innuere, concessionem Episcoporum nunc licitas non esse; at non invalidas. Baldellus autem d. lib. 1. de fide, disp. 47. num. 20. tenet, neque Episcopos, neque Inquisitores posse dare tales licentias. Cæterum